

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Petri Chrysologi Archiepiscopi Ravennatis, viri
eruditissimi atque sanctissimi, Sermones In Evangelia De
Dominicis & festis aliquot solemnioribus totius anni,
insignes & peruetusti**

Petrus <Chrysologus>

Lvgdvni, 1623

De eadem, Sermo CXLIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50232](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-50232)

Deo, cui suppetit faciendi potestas? Quæ? Ut ipsam naturam nascendo reficeret, quam fecerat operādo; quia quæ facta fuerat ut generaret ad vitam, ipsa generabat ad mortem. Per peccatum primi hominiſ natura lethale vulnus accepit, & cœpit esse origo mortis, quæ erat initium vitæ. Hoc ergo negotium natuitatis quod nasci compulit Christum, ut naturæ curam natuitas daret auctoris, & naturæ curatio eset viuificatio filiorum.

De eadem, Sermo CXLIV.

DE natuitate Christi nos comperendinare sermonem altitudo rei facit, & cogit mysterij magnitudo. Virgo peperit? quis loquetur? Verbum caro factum est? quis narrabit: Si verbum Dei infantæ dat vagitum: homo imperfectus quomodo clamabit in verbo? Quantam stella magis nocte dedit quærentibus lucem, tantam doctoris sermo ortus dominici præbet audientibus claritatem: ut Christum inuenisse gaudeant, discurrere non præsumant, honorent muneribus infantiam non minorent. Sed orate fratres, ut qui nostro sensim crevit in corpore, paullatim nostro crescere dignetur in verbo. Euangeliſta hodie angelum retulit sic locutum. *Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum.* Ne timeas Maria, quare? Quia inuenisti gratiam. Timet non qui inuenit, sed qui perdit. Inuenit, inuenit hæc cōcipiendo superni germinis gratiā, quæ pariēdo nō perdidit virginitatis insignia. *Ne timeas Maria.* Quid timet, quæ securitatē rerum cōcipit, parit gaudia sæculorū? Timor non est, ubi diuinū est negocium, non humānum: ubi virtutis conscientia est, non pudoris. Quid timet, quæ suscepit eum, quem timent omnia quæ timentur? Quid timet, cui iudex causæ est assertor,

int̄e

LVC. 1.

integritas testis innocentiae? Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum. Quod erat in principio *Ioan. i.* apud Deum, verbum Deus intra se virgo reperit, & factum est magnum Deitatis templum, quæ erat pusillum humanitatis hospitium, & quem non capiebat pusillitas humani corporis, coepit virginalis uteri magnitudo. *Ecce, inquit, concipies in utero.* Propter reuerentiam dixisse suffecerat: concipies quod exagerat, in utero quid est? Ut conceptus esset veritas, non figura: ut partus esset proprietas non imago, ut sicut de Deo vero Deus verus natus est, sic de utero conceptu veritas humani corporis nasceretur. In ortu Christi fratres, humani corporis iniuria sublata est, non natura: nec est creatura deleta, sed culpa damnata. Est ergo hæresis, quæ Christum aerium corporis assumpsisse mentitur: nec habuisse carnem, sed hominem stimulasse configit. *Concipies, inquit, in utero, & paries filium, & vocabis nomeneius Iesum.* Quod Hebraicè Iesus, Græce οὐτηρ, hoc dicitur Latine Saluator. Merito ergo virginis salua sunt omnia, quæ omnium genuit saluatorem. *Et vocabis nomen eius Iesum:* Quia in hoc nomine deitatis tota adoratur Maiestas: omnes qui commorantur in cœlis, universi qui habitant terram, cuncti qui in profundo tenentur inferni, huic prosternuntur nomini, hunc adorant. Audi Apostolum dicentem: *Vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum.* Hoc nomen quod dedit cœcis visum, auditum surdis, claudis cursum, sermoné mutis, vitam mortuis, totamque diaboli potestatem de obsessis corporibus virtus huius nominis effugavit. Et si nomen tantum est, quanta potestas? Sed quis est iste qui vocatur hoc nomine? Iam dicat Angelus. *E filius altissimi vocabitur.* Videntis quia quod concipit

Phil. 1.

Virgo,

Virgo, non terrenum germen est, sed cœlestes. Virgo peperit, sed Deus suscepit filium. Ergo qui de hac naturitate humano modo disputat, a omnem tendit tanti genitoris iniuriam. *Et dabit, inquit, ei dominus sedem David patris sui.* Hinc hæreticus generat perfidiae suæ nebulas: hinc sibi singit erroris materiam. Ecce, inquit, non ego dico, sed Angelus, dabit illi Dominus Deus, nunquid non maior est qui dat, quā qui accipit? & qui accipit, antequam acciperet, non habebat. Sed nos ista fratres, audiamus non ut perfidi, sed ut fideles: & sit nobis argumentum fidei, quod illis est erroris occasio. *Dabit illi Dominus Deus.* Quid dat, aut cui dat? utique Deus homini dat, diuinitas carni.

Ioan. 1.

Dabit illi Dominus Deus. Quis Deus? utique Verbum quod erat in principio semper Deus. Cui dat? quod caro factum est, & habitauit in nobis. Audi Apostolum dicentem, Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Sibi utique non alij: Hic ergo Deus, qui in Christo erat, regnum sibi dabat in Christo: & conferebat suscepto corpori, quod semper sua diuinitate possederat: sicut ex ipso Angeli probatur eloquio.

Ioan. 16.

Dabit illi dominus Deus sedem David patris sui. Vides, quia quando accipit, David filius dicitur: quādo dat, Dei filius nuncupatur, ipse dixit: Omnia quæ habet pater, mea sunt. Et quæ necessitas accipiendi, ubi est habendi potestas? Ait, omnia quæ habet pater, mea sunt. Quis accipit, quæ sua sunt? Aut in gratia dantis est, si accipientis est quod donatur? Fatemur quia accepit, sed iste qui natus est, qui suscepit carnem, qui suscepit infantiam, qui cunabula pertulit, qui suscepit ætates, qui laborem sustinuit, qui famem sensit, qui litim passus est, qui tota iniuriarū genera non fugit, qui ascendit crucem, qui subiit mortem, qui intravit sepulchrū: hæretice, huic quod accepit ascribe.

be. Aut putas quod honoré à Deo deditur accipere, qui ab hominib. tantas accépit iniuriás? Aut existimas quod conferri sibi regnum à patre fastidit, qui ab inimicis pœnas, mortemque suscepit? Hæretice, quod est iniurię, quod infatię, quod etatis, quod téporis, quod dati, quod accepti, quod minorationis, quod mortis, si intellexeris non esse diuinitatis, sed corporis, tu nullam filio irrogabis iniuriam, nullam tu facies in Trinitate distantiam. Sed reuertamur ad nos, & quæ sunt nostra iam loquamur. *Dabit illi, inquit, dominus Deus sedem Dauid patris sui, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Qui in cœlo semper consedit patri, nunc sedem Dauid accépit in terra; qui regnauit sibi semper, modo nobis in domo Iacob regnum sortitus est æternum.* Gaudemus fratres, quia qui sibi regnauit regnaturus est nobis: gaudemus, quia venit regnaturus in terra, ut nos cum illo regnare possimus in cœlo. Audi Apostolum: *Si compatimur, & conregnabimus. Nobis natus est, nobis utique regnum venit donaturus: ipso promittente, cum dicit: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Vobis dixit, non mihi. Veniet, ut sit nobiscum semper: ut nostris sit semper in oculis, qui nunc tantum nostris habetur in cordibus. Veniet, ut quibus est gloria de regno, sit de familiaritate fiducia. Et regni eius non erit finis. Qui eius aduentum credis, gaudie, quia regnum sine fine promisit: ubi est sine successore militia, ubi sunt perpetuae dignitates. Sed quid est quod permanens non ambiunt, qui ambiunt transitura? Quid est? Quid est quod caducos honores auro comparant, & nolunt gratis accipere sempiternos? Fratres, hic paratur officia, hic decernuntur loca, hic honores designantur,*

hic

x

2. Tim. 2.

Mat. 25.

hic qui non de Euangelij fide acceperit codicillos, ibi æternarum infulas non habebit dignitatum. Ergo si delectat militia, si volumus semper militare, arripiamus arma Christi, vigilemus, sobrij simus, vincamus diabolum, prosternamus vitia, ut possimus accipere præmia pariter, & coronas ab ipso Domino nostro Iesu Christo, qui cum Deo patre regnat nunc & semper, & per omnia sæcula sæculorum. Amen.

De generatione Christi, Sermo CXLV.

Aviduri estis hodie fratres, quemadmodum no-

MAT. 1. • *bis beatus Euangelista generationis Christi re-*
tulit sacramentum. Christi, inquit, generatio sic erat:
Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam
conuenirent, inuenta est in utero habens de Spiritu sancto:
Ioseph autem vir eius cum esset iustus, & nollet eam tra-
ducere, voluit occulte dimittere eam. Et quomodo iustus,
qui conceptum sponsæ duxit non discutere? Suspe-
cti non exquirit causam pudoris, coniugij famam no-
vindicat, sed requirit: Voluit asculite dimittere eam. Hoc
pio magis videtur conuenire, quam iusto, sed huma-
no iudicio, non divino. Penes Deum neque pietas
sine iustitia est, neque sine pietate iustitia: cælesti sen-
su sine bonitate æquitas, sine æquitate bonitas non
habetur. Virtutes si separatae fuerint, dilabuntur, æ-
quitas sine bonitate sœvitia est, & iustitia sine pietate
crudelitas. Ioseph ergo merito iustus, quia pius: &
pius, quia iustus. Denique dum pietatem cogitat cru-
delitate caruit: dum causam téperat, iudicium custo-
diuit, dum vindictam differt, crimen euasit: dum re-
fugit accusatorem, fugit sententiam. Æstuabat ani-
mus sanctus negotij nouitate percussus, stabat spon-
sa præ